

excipere praesumat, nisi de impetrata à Pastore licentia, eidem innotuerit.

XX. Demum sub finem praecedentis seculi, occasione cuiusdam controversiae inter Parochos & Fratres Mendicantes in civitate Duacensi; & brevis Clementis VIII. hac de causa missi ad Nuntium Apostolicum Bruxellis residentem, Archiepiscopus Cameracensis & Episcopus Atrebatensis litteris suis Pastoralibus datis 26. Februarii 1594. id est, biennio post emanatum Breve Clementis VIII. scripserunt, "Juxta laudabilissimam consuetudinem observatam in Cameracensi Diocesi nostra, & per totam Rhenensium Provinciam, unde antea dependebat; huc etiam additis Synodalibus nostris, nostrorumque Praedecessorum Decretis; quorum aliqua trecentis annis & amplius vetusta sunt; obligati estis confiteri semel in anno, scilicet post Pascha rationem Nobis, prout per praefata Decreta tenetur, de defectuosis reddere valeat.

Hac in Litteris Archiepiscopi Cameracensis, quibus ad verbum respondent litterae Episcopi Atrebatensis; hoc solo excepto quod pro his verbis: *Et per totam Rhenensem Provinciam, unde antea dependebat*, in Litteris Atrebatensis habeatur: *Et per totam Provinciam Cameracensem, quondam Provinciam Rhenensem unde ante Diocesis nostra dependebat*.

Declarant praeterea, huic praeccepto & consuetudini per Sanctissimum Dominum nostrum Papam (Clementem VIII. intelligunt) vel Praedecessores ejus, minime derogatum fuisse. Quod latius ostendit Bonaventura Balseau in suo Theophilo Parochiali part. 4. art. 15.

XXI. Quid de disciplina censeant Episcopi Ecclesiae Gallicanae, praeterquam quod eam in omnibus penè suis respectivè Synodis stabiliant, dignoscitur ex Declarationibus quas non semel Clerus Gallicanus edidit; ac signanter novissimè anno 1665. in generali Congregatione Cleri habita Parisiis eam his verbis expressit: "Juris obligatio qua Fideles tenentur confiteri & communicare semel in anno, praescripta è Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa III. confirmata in Concilio Trid. & explicata à S. Carolo in priore Synodo Mediol. religiose observari debet. Quamobrem curabunt Fideles, ut Paschalis tempore confiteantur, & communicent in sua Parochia, nisi ab Episcopo, generali illius Vicario vel Parocho extra Ecclesiam confiteri permisi fuerint.

XXII. Conformiter ad has Cleri Gallicani Declarationes nec non Decretum Concilii Provincialis Rhenensis anni 1583. tit. De Penitentia, orta super hoc jure Parochorum controversia in civitate Ambianensi, atque per appellationem causa devoluta ad Archiepiscopum Remensem tantquam Metropolitanum, hic per sententiam definitivam 22. Martii 1687. declaravit, "Quod hac obligatio consistendi proprio Parocho, aut ab eo petendi & obtinendi licentiam consistendi alteri Sacerdoti, intelligenda sit de confessione annua, ad quam omnes utriusque sexus Fideles tenentur infra quindenam Paschalem conformiter ad usum Ecclesiae Gallicanae; & signanter hujus Provinciae (Remensis) ad satisfaciendum praeccepto Ecclesiae expresso in Canone Omnis utriusque sexus Concilii Lateranensis IV. Quod Canon Concilii Provincialis Remensis interpretatus juxta usum constantem illius Provinciae, taliter obliget utriusque sexus Fideles, ut iis licitum non sit instituendi confessionem suam annuam omni alteri Sacerdoti sive seculari sive regulari, etiam legitime & indefinite approbato sine speciali licentia sui Parochi aut Episcopi Diocesis; qui Episcopus eam cum cognitione causae dare potest recusante Parocho; imò & concedere in certis casibus; & ob rationes ipsi notas & bonum conscientiarum illis qui in his casibus non habuerint recursum ad Parochum, quem ordinariè Fideles suo Parocho debent, sed directè se Episcopo praesentarunt. Quodque Confessarii seu seculares, seu regulares etiam legitime & indefinite ap-

probati nequeant absolvere illos, qui ad satisfaciendum annua confessioni per Concilium Lateranense praeccepta, non petissent & obtinissent licentiam specialem sui Curati aut Episcopi modo supra descripto.

XXIII. Rationem hujus disciplinae jam pridem exposuit S. Bonaventura in Tractatu Quare Fratres Minores praedicent: "Primo quidem ut Pastor cognoscat in quo statu quilibet commissorum sibi sit, ut saltem sciat medicinam ei competentem exhibere, instructionis, correctionis, consolationis. Secundo ut noscat quibus possit Corpus Christi indulgere, vel quos è Sacramento arcere. Deinde ut discernantur obedientes à negligentibus vel haereticis per observantiam talis Statuti.

XXIV. Ceterum cum praecceptum annuae confessionis juxta Canonem OMNIS UTRIVSQUE faciendae proprio Sacerdoti in pluribus Belgii hujus Diocesis nec ab Episcopis nec à Pastoribus urgeatur, neque à tempore immemoriali aliquod speciale Decretum super hujus praeccepti observantia emanavit, apparet, Fideles illarum Diocesium per tacitum Praelatorum & Pastorum consensum, haec tenus ab ea obligatione solutos; saltem quousque Episcopi & Superiores eam novis Decretis urgebunt.

Inferioribus verò Curatis in hujusmodi Diocesis hanc disciplinam sive obligationem privata auctoritate urgere, & introducere non convenit; ne aliàs silentibus aut secus sententibus Episcopis, plus destruant, quam aedificent; ipsaque Parochias suae curae commissas sine fructu turbent, animosque Fidelium inquietent.

At ubi Episcopi haec tenus eam disciplinam urgent ac tenentur, suisque Decretis stabiliunt, & Fideles ei obedire, & inferiores Curati aliique Confessarii seu seculares seu regulares se illis conformare tenentur.

XXV. Ne verò stante hac disciplina conscientia subditorum nimium constingatur, praecipunt passim Synodi, ne Parochi postulantibus licentiam alteri consistendi eam facile negent.

De hac licentia in sua Synodo Diocesana XI. ita loquitur S. Carolus: "In Diocesi autem & generatim & sigillatim Parochus se facilem praebat, in consentiendo Parochialibus suis, de quibus nulla sit suspicio, eos medicinae vitandae causa Parochi judicium subterfugere, ut ad alios Confessarios à nobis testimonio scripto probatos se conferant, qui peccatorum suorum confessionem audiant. Imò verò eam facultatem spontè sigillatim offerre debet iis, qui lites, controversias, dissensionem se secum exercuerint, exercentve, de his praesertim rebus, quae ad munus spirituale parochialis curae non attinent. Quia in re si Parochus detulerit, tunc is Vicarius foraneus facultatem concedat, licet ut alios Confessarios adire possint. Verum ne idem Vicarius foraneus & Parochus generatim consentiat, eos à quo voluerint Confessario audiri, sed ab eo, quem ipse, vel Parochus, vel Vicarius maluerit, vel ab illo quem è pluribus piis & peritis ab eodem Parocho & Vicario propositis, Penitens ipse sibi delegerit.

Quin & istud constat, ipseque Carolus in praedictis verbis expressit, si Parochus in concedenda licentia iusto morosior fuerit, Episcopum ejusve Vicarium eam licentiam dare, & defectum Parochi supplere posse; quin & interdum eam licentiam dare iis, qui eam à Parocho non petierunt.

CAPUT VI.

De Approbatione Confessoriorum, & ejus Limitatione ac Revocatione.

1. *Primis seculis Presbyteri non erant ordinarii Ministri Sacramentorum.*
2. *Qua ratione Presbyteri ceperint functiones obire jure ordinario?*

3. Ob.

3. *Obtinentes Beneficia Curata jure ordinario seu proprio administrant Sacramentum Pœnitentiæ.*
4. *Parochiale Beneficium obtinens ex Decreto Concilii Trid. vi sui Beneficii excipere potest Confessiones.*
5. *Ratio hujus Decreti; & ea obtinet in omni Beneficio Curato.*
6. *Dimisso Beneficio Curato expirat facultas audiendi Confessiones.*
7. *Curatum Beneficium possidens non est approbatus per totam Diocesim.*
8. *Sanctus Carolus supposuit Parochum titulo sui Beneficii extra Parochiam non posse excipere Confessiones.*
9. *Vi consuetudinis Parochi sine speciali Episcopi approbatione excipiunt Confessiones extra Parochiam; & in quo hac consuetudo fundata?*
10. *Etiam in quibusdam Ecclesiis Parochi unus Diocesis possunt excipere Confessiones in alia Diocesi sine speciali Episcopi approbatione.*
11. *In quo hac consuetudo fundata; & quare de ea interdum inquirendum.*
12. *Presbyteri non habentes Beneficium Curatum sine approbatione Episcopi Confessiones excipere nequeunt.*
13. *Approbatus in una Diocesi non potest in alia Diocesi vi hujus approbationis Confessiones excipere.*
14. *Propositio contrarium asserens censurata.*
15. *Nec sine hac approbatione Confessiones excipere potest in Monasteriis exemptis.*
16. *Presbyter quantumvis doctus & capax non potest excipere Confessiones nisi ceipis approbatus.*
17. *Approbatio Presbyterorum non habentium Beneficium Curatum pro arbitrio Episcopi limitari potest.*
18. *Contraria assertio censurata.*
19. *Hac limitatio etiam procedit quoad personas.*
20. *Solent excipi in Belgio Moniales.*
21. *Regulares sine Episcopi approbatione nequeunt excipere Confessiones Monialium Regularibus subditarum ex Constit. Gregorii XV.*
22. *Dubia occasione hujus Constitutionis; & eorum resolutio.*
23. *Possunt quaecumque persona à generali approbatione excipi.*
24. *S. Carolus excipit Clericos; & quare?*
25. *Potest etiam approbatio limitari ad locum; & quomodo eà auctoritate usus sit S. Carolus.*
26. *Quomodo approbatio semel data possit revocari?*
27. *Auctoritatem Episcopalem in limitanda & revocanda approbatione etiam Regularium speciali Edicto roboravit Rex Galliae.*
28. *An Vice-Pastorum approbatio tam facile revocari queat, quam aliorum.*

Rimis Ecclesiae seculis praecipuam auctoritatem & curam imponendi ac moderandi Pœnitentias; nec non Pœnitentes reconciliandi fuisse penes Episcopos, ostendimus capite praecedenti.

Imò hac auctoritas ita propria erat Episcopis, ut non nisi auctoritate & licentia ab his accepta, Presbyteri inferiores quicumque Pœnitentias injungere, atque Pœnitentes reconciliare possent.

Quin pluribus seculis, sicut in aliis Ecclesiasticis functionibus, ita in hac Presbyteri non nisi Delegati à quasi ac Vicariis auctoritate Episcoporum auctoritate fungebantur.

II. Postquam verò habentibus seculis Beneficiorum Ecclesiasticorum tituli erecti fuerunt, ceperunt Presbyteri, qui Beneficia Curata obtinebant, functiones Beneficii illis annexas jure ordinario; sive jure suorum Beneficiorum seu titularum obire; atque functionum illarum dici Ministri Ordinarii.

III. Cum igitur praeccepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, atque Sacramentum administratione pascerere, ut loquitur Tridentinum Sess. 23. cap. 1. De Reform. etiam jure divino quodammodo mandatum censetur Sacerdotibus quibus curam animarum commissa est, Fidelibus hoc Sacramentum administrare.

Cum verò juxta modernam Ecclesiae disciplinam Presbyteri Beneficium Parochiale aliudve Curatum in titulum possidentes censeantur habere curam Animarum jure ordinario, seu vi sui tituli Beneficialis, etiam reputantur hujus Sacramenti Ordinarii Ministri; sive habere auctoritatem excipiendi confessiones eorum ad quos Cura Animarum beneficio annexa se extendit.

IV. Unde Synodus Tridentina Sess. 23. cap. 15. De Reformatione decernens, nullum Presbyterum etiam Regularem posse confessiones secularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo approbationem obtineat, excipit tamen: *Nisi Parochiale Beneficium obtineat*: quae exceptio ostendit, Presbytero Parochiale Beneficium obtinenti, nullam specialem approbationem Episcopi necessariam esse, ut confessiones excipere queat.

V. Neque ratio obscura est. Quandoquidem enim hujusmodi Beneficium obtinendo una Curam Animarum annexam obtineat, etiam cum cura animarum auctoritatem administrandi hoc Sacramentum accepisse censetur; idque eodem titulo sive jure quo ipsam animarum curam accipit, scilicet jure ordinario.

Et licet Synodus loquatur dumtaxat de habentibus Beneficium Parochiale; idem nihilominus eadem ratione & fundamento obtinet in quocumque Beneficio sive Dignitate seculari & regulari, cui vera & interna cura animarum incumbit: ut hi qui hujusmodi Beneficia aut dignitates obtinent, & curam animarum iis annexam acceperunt, censeantur una accepisse facultatem accipiendi confessiones eorum ad quos eorum cura se extendit; atque eatenus ordinarios hujus Sacramenti Ministros reputari; neque speciali approbatione ad confessiones excipiendas indigere: quod notoria praxis in Decanis Canonicorum nec non Abbatibus, Prioribus Conventualibus aliisque similibus ostendit.

VI. Porro cum hac auctoritas excipiendi Confessiones produat ex ipsa Cura Animarum Beneficio Parochiali aut Curato annexa, si Curam Animarum per dimissionem Beneficii aliòve titulo habere desinat, auctoritatem quoque excipiendi Confessiones à Cura Animarum unice dependentem amississe censetur; quod in terminis tradit Piaficus in Praxi Episcopali parte 2. cap. 1. num. 10.

VII. Similiter quia cura animarum non se extendit ultra limites Parochiae aut personarum in quas vi sui Beneficii curam accipit, neque auctoritas excipiendi confessiones in consequentiam illius competens se ulterius extendere potest: etiam nullatenus vi sui Beneficii Curati dicendus est habere facultatem excipiendi Confessiones per totam Diocesim.

Unde interrogata S. Congregatio, "An provisorius de Parochiali per concursum, censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas Confessiones in illa Diocesi, in qua illam Parochialem obtinet? Respondit, censeri dumtaxat in ea civitate vel oppido ubi sita est Parochialis, non autem passim per totam Diocesim." Apud Piafium ibidem.

VIII. Sanctus Carolus dans facultatem Parochis, ut tempore Paschali aliorum Parochorum ministerio ad audiendas Confessiones uti possent, declaravit in Synodo sua Diocesana XI. "Id de Parochis tantummodo intelligi, quibus extra Parochiam propriae fines ad audiendas confessiones probatis, in scriptis facultas data est.

Hic manifestè supponit S. Carolus, facultatem excipiendi confessiones Parocho vi sua Cura Pastoralis competentem, extra fines propriae Parochiae non extendi; tamen etiam alterius Parochi consensus accedat.

IX. At cum jam passim invaderet, ut Presbyteri tam Seculares, quam Regulares etiam nullum Beneficium Curatum habentes, simpliciter approbati ad audiendas Confessiones, haberentur approbati per totam Diocesim; ac possent in omnibus Parochiis Diocesis, saltem de consensu Parochorum Confessiones excipere, consuetudine tandem ac tacito Episcoporum consensu invaluisse videtur, quod Parochiale Beneficium obtinens, in vim illius censeretur approbatus ad audiendas Confessiones per totam Diocesim & in omnibus Parochiis hujus Diocesis de solo consensu Parochorum; tamen nullam specialem approbationem ad audiendas Confessiones ab Episcopo obtinuerit, præter eam quæ cum ipsa Cura animarum data fuit.

Apparebat enim injustum, quod Vice-Pastores alique inferiores Presbyteri ad Confessiones audiendas, etiam dumtaxat ad certum tempus, approbati, possent per totam Diocesim ea facultate uti de solo Parochorum aut aliorum quorum interest consensu, Parochi vero hujus Sacramenti ordinarii Ministri auctoritatem haberent adeo arctatam.

Hinc passim Parochus unius Parochiæ advocare solet vicinos Parochos, ut sibi in Confessionibus audiendis subsidio sint; itaque publicè Confessiones in aliorum Parochiis excipiant; tamen nullam specialem approbationem habent: quam praxim non obsecrè probavit Synodus Namurcensis anno 1659. *Tit. 5. cap. 7.* permittens "Pastoribus, qui in aliorum veniunt auxilium, tempore Indulgentiarum, vel Turni, Confraternitatum, aut alia iusta causa, etiam audire Confessiones in aliorum Ecclesiis Parochiali."

X. Quin ulterius addit: "Prout etiam Pastores qui in alia Diocesi approbati sunt; quod similiter locum habebit in Ecclesiis Regularium. Videant tamen ut ii quos in subsidium admittunt, apti sint, scientes conscientiam suam de super onerari."

Cæterum cum hæc Parochorum facultas excipiendi Confessiones extra fines propriæ Parochiæ & personarum sibi non subditarum, non profuisset ipsa Cura Pastoralis, sed ex consuetudine tacito consensu Episcoporum probata si de hac consuetudine & tacito Episcoporum consensu alibi sit dubium, merito Episcopi & Archi-Presbyteri de ea consuluntur; nec aliis ipsum Sacramentum vitio nullitatis exponatur.

Hæc tamen inquisitio præcipuè requiritur de Parochis ex aliena Diocesi adventantibus. Major enim difficultas est ut Parochus alienæ Diocesis sine ulla Episcopi Diocesani approbatione admittatur ad excipiendas Confessiones de sola Parochi aut Superioris Regularis licentia; quemadmodum Synodus Namurcensis permittere videtur. Neque enim id passim receptum videtur, neque pro recepto habendum, nisi de Episcoporum consensu satis constet.

XI. Ante Concilium Tridentinum Parochis jus fuit cuiquamque Presbytero nec Parochiale Beneficium habenti, nec per Episcopum specialiter ad audiendas Confessiones approbato, dandi licentiam excipiendi Confessiones suorum Subditorum, quemadmodum hodie Parochus potest dare licentiam cuique Presbytero assistendi Matrimonio, administrandi Viaticum &c. uti communiter docent Canonistæ, & satis indicat *Cap. OMNIS UTRIVSQUE SEXUS*, dum præter licentiam propriis Sacerdotis nihil requirit, ut Fideles alteri Sacerdoti confiteri queant.

Proinde non ita absolum apparet, si Episcopi Parochis permetterent licentiam assumendi in subsidium ad Confessiones audiendas non quemlibet Presbyterum, sed Parochum, qui ut ordinarius hujus Sacramenti minister admittitur, saltem in sua Parochia: quia tamen hæc à consuetudine & Episcoporum consensu dependet, de his antea inquirendum priusquam quidquam in praxim deducatur.

XII. Quoad Presbyteros seu seculares seu regulares Beneficium Parochiale non habentes, decernit Synodus Trid. "Nullum etiam regularem posse confessiones secularium etiam Sacerdotum audire, nec ad idoneum reputari, nisi ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessa-

rium, aut aliis idoneis iudicetur, & approbationem obtineat."

Ex hoc Decreto manifestum est, Synodum quoad approbationem & examen, hic per omnia Presbyteros seculares & regulares Beneficium Parochiale non habentes equiparare: ita ut eadem in utroque requirantur; atque æqualiter in hoc puncto ab Episcopis dependeat; & excipiendi confessiones auctoritatem accipere debeant; idque privilegium, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus; uti in fine sui Decreti declarat Synodus.

XIII. Cum verò Presbyteri nullam in populum jurisdictionem sive Clavium potestatem vi sui Beneficii habentes, eam juxta Decretum Concilii Tridentini accipere debeant ab Episcopo vigore approbationis ab ipso obtentæ; ipsa autem Episcopi jurisdictione se ultra fines suæ Diocesis non extendat, consequens est; nec Episcopum per suam approbationem eam ultra suam Diocesim extendere posse; & consequenter, quod approbatio Episcopi quantumcumque generaliter & illimitatè conceitæ nequeat approbationem idoneam reddere ad confessiones excipiendas extra Diocesim; quandoquidem ad confessiones audiendas & absolutionem impendendam requiratur in Sacerdote jurisdictione seu potestas Clavium in Penitentem, quam extra limites suæ Diocesis, & in non suos subditos Episcopus dare non potest.

XIV. Quapropter merito in generali Cleri Gallicani Conventu constante ex 10. Archiepiscopis, 73. Episcopis, pluribusque Abbatibus, aliisque Prælatibus, damnata fuit hæc quorundam assertio: "Regulares Ordinum Mendicantium semel approbati ab uno Episcopo ad confessiones audiendas in sua Diocesi, habentur pro approbatis in aliis Diocesis, nec novè indigent Episcoporum approbatione."

Eandem postmodum in suo ad Henricum Episcopum Andevagensem missio Decreto reprobavit Alexander VII. tamquam falsam, & saluti animarum perniciosam.

XV. Quin eodem nixu fundamento, declaravit S. Carolus: "Ne in Monasteriis quidem & locis, ubi Regulares spirituales temporalemque jurisdictionem habent, quilibet quam Sacerdos etiam regularis & exemptus confessiones audiat; nisi primum ab Episcopo, intra cujus Diocesim, fines ea Monasteria locaque sunt, ad id probatus fuerit."

XVI. Ulterius cum regularis Presbyter æquè ac secularis per approbationem accipere debeat jurisdictionem ad excipiendas Confessiones necessariam sequitur, quod nec ille quantumvis doctus & capax ad excipiendas Confessiones auctoritatem habere censendus sit, nisi reipsa approbationem obtinuerit; tamen etiam injustissime ab Episcopo eam negari supponatur; quod factè expresse Pius V. in Bulla quæ incipit *Romani Pontificis* 133. in Bulla, Rom. declarans, nec Lectores Theologiae potest Confessiones excipere nisi prius ab Episcopo approbationem obtinuerint. Et Alexander VII. in Decreto de 24. Septemb. 1665. inter varias propositiones hanc ordine 13. damnavit: "Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui consistit Regulari, Episcopo presentato, sed ab eo injustè reprobato."

Hinc fit ut si aliquis Doctor, vel in Sacra Theologia Professor licentiam petierit, & injustè ei negetur, non censetur approbatus; ita post alios citatos resolvit Barbosa De Officio Episcopi *Allegat. 25. num. 15.*

XVII. Sicuti Presbyteri seculares Beneficium Parochiale seu Curatum non habentes, nullam ordinariam seu Beneficium annexam jurisdictionem habent, vi cujus Confessiones excipere queant; sed solam Delegatam sive Vicariam; similiter Presbyteri Regulares, etiam Mendicantes nulli Beneficio Parochiali præfati, solam jurisdictionem delegatam per approbationem Episcopi accipiunt.

Jurisdictionis autem Delegatæ natura est, quod pro arbitrio ac voluntate Delegantis restringi ac limitari ad tempus, personas, atque materiam possit.

Hinc notissimo juris principio innixi Episcopi alique Prælati Clerum Ecclesiæ Gallicanæ constituentes, sæpius

in suis generalibus Conventibus declarant, quod "Regulares, qualiacumque privilegia aut immunitatem obtendant, Secularium Confessiones audire non poterunt, quin Episcopi Diocesani examen subierint, & ab ipso, vel ejus Generali Vicario fuerint approbati, quorum nomen & arbitrio pendebit ut vel temporariam, vel perpetuam Confessiones accipiendi facultatem facere, vel sub qua cumque restrictione placuerit concedere."

Quin & anno 1650. idem Clerus Gallicanus per litteras circulares significavit omnibus Episcopis; ut quemadmodum in Italia, quin & ROMÆ & plurimis aliis Provinciis & Diocesis observatur, post hæc nulli Regulari detur facultas excipiendi Confessiones nisi ad CERTUM TEMPUS limitata. Hac insuper formulâ admittionis Regularium ad excipiendas Confessiones, & annuntiandum Verbum Dei præscriptâ. *N. Ecclesia N. Episcopus dilectio nobis in Christo N. Ordinis vel Societatis N. Presbytero, salutem & benedictionem. Cum multa ꝑ. Christi messis, nos cogat, undequaque ad auxilium nostrum operarios advocemus, teque charissime Frater, primum & doctum examine noverimus, aptumque ut sub nostri regiminis magisterio procuranda fidelium salutem inservias, Verbo Dei predicando, administrandoque Poenitentia Sacramento admoveere statuumus AD (hic debet exprimi tempus) PRÆSENTIBUS POST ILLUD TEMPUS NON VALIDURIS; eâ tamen conditione, ut à casibus nobis reservatis non absolvas.*

XVIII. Cum verò non obstante hac perspicuâ juris ratione; atque iteratâ totius Cleri Gallicani declaratione; nec non notoriâ praxi, etiam Ecclesiæ Romanæ, quidam in Diocesi Andegavensi sustinere veriti non essent hanc assertionem: *Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possent Episcopi RESTRINGERE VEL LIMITARE approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas;* eam primum Clerus Gallicanus censuravit; ac postmodum Alexander VII. in citato Decreto ad Episcopum Andegavensem, falsam, temerariam, scandalosam, in heresim, & schisma inducentem, Sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolica injuriosam declaravit.

XIX. Quemadmodum iudex delegatus suam jurisdictionem, illam ad certas personas restringere potest; ut nimirum iudex delegatus non nisi inter certas personas jus dicere queat; ita quoque Episcopi potestatem clavium seu jurisdictionem Presbyteris delegando, eam quo ad personas limitare & restringere possunt.

XX. Hac auctoritate passim utuntur Episcopi dum declarant in suis respectivè Synodis ac Ritualibus, sub generali approbatione non comprehendi Moniales clausuram servantes; ad quas formulæ generales, & ordinariæ approbationis ad confessiones audiendas minime extenduntur; nisi clarè & expressis terminis ad eas extendantur; uti loquuntur Decreta Synodalia Diocesis Gandensis sub Antonio Triest. *Tit. 5. cap. 3.*

XXI. "Confessarii sive Regulares, sive seculares etiam generaliter approbati, non immisceant se audiendis confessionibus Monialium etiam sibi subditarum, nisi ad id habeant specialem facultatem juxta Constitutionem Gregorii XV. editam anno 1622." Ita Synodus Namurcensis anno 1659. *Tit. 5. cap. 1.*

Constitutio Gregorii XV. cujus meminit hæc Synodus, incipit *Inscrutabilis* 18. in Bull. R. atque in illa §. 5. decernitur: "Confessores verò, sive seculares, sive Regulares quomodocumque exempti tam Ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones Monialium, etiam regularibus subditarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo Diocesano idonei iudicentur, & approbationem, quæ gratis concedatur obtineant."

XXII. Occasione hujus Constitutionis quedam dubia Congregationi Cardinalium fuere proposita; quæ unâ cum resolutione Congregationis subnectuntur ipsi Constitutioni in Bullario Romano; quorum nonum, decimum & undecimum his verbis erant proposita.

Nonum: "An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, censentur etiam approbati, ad audiendas Confessiones Monialium sibi subditarum."

Decimum: "An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit."

Undecimum: "An Confessores Regulares extraordinarii semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, possint virtute dictæ approbationis, pluries tamquam Confessores extraordinarii, earundem Confessiones audire absque nova Episcopolica licentia?"

His propositis dubiis respondet S. Congregatio in hunc modum: "Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censentur approbati ad audiendas Confessiones Monialium sibi subditarum, sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione."

"Ad X. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minime posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii."

"Ad XI. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit."

XXIII. Sicuti Monialium; ita & aliarum personarum confessio à generali hujusmodi approbatione excipi potest: modo eam Episcopi sufficienter exceptam declarent.

Ita in quibusdam Diocesis ac signanter Antverpiensi non tantum Monialium clausuram servantium, sed & Begginarum à generali & ordinaria facultate audiendi Confessiones excepta est.

XXIV. Constat quoque hæc eadem auctoritate usum fuisse S. Caroli, deputando certos ac speciales Confessarios ad audiendas Clericorum Confessiones; uti videre est in Synodo Diocesana IV. *Decreto 24.*

Hoc S. Caroli institutum si Episcopi sequerentur, deputando speciales Confessarios eruditione, prudentiâ ac pietate præcellentes, qui Clericorum Confessiones exciperent, non dubium, quin paulatim Clerum suarum Diocesium multo reformatiorem viderent. Nemo quippe ignorat, quam magno auxilio sint boni Confessarii ipsis Penitentibus ad vitæ emendationem & progressum, in virtutibus. Unde monet Synodus Tornacensis anno 1585. *Tit. De Sacram. Paris. cap. 2.* ut Sacerdotes bonum probatumque eligant Confessarium, cum bonus Confessarius, ait, magno sit auxilio ad obtinendam veram Contritionem, & seriam vitæ emendationem. Neque illud quis inficiabitur, magnâ prudentiâ, eruditione opus esse, ut quis non tantum bonos Christianos; sed bonos Clericos, Christianorum futuros magistros, formare queat.

XXV. Eadem auctoritate possent Episcopi secularium & regularium approbationes limitare quo ad loca, ut v.g. non possent in domibus privatis infirmorum confessiones excipere; aut saltem non nisi habitâ Parochorum licentiâ vel ut minus eo præmonito; quemadmodum in Institutionibus Confessariarum præscribit S. Carolus. "Regulares ad infirmos audiendos convocati (ait) si ex temporis angustia aliud non poterint, hujus infirmi Pastorem adeant, quæ spectant ad ejus statum scilicet, ut diligentius illum examinent, utpote in hoc vitæ termino constitutum, à quo salus aut æterna damnatio pendet: quod si ante confessionem Pastorem convenire tempus non fuerit, saltem post eam quamprimum Confessor adeat, ut ambo de inferni necessitatibus, eoque spiritualiter adjuvando, statuant."

XXVI. Quem-